

niensi, ea lege ne opera pœnitentiæ negligantur secundum cujusque facultatem, suis annalibus ad an. 1073, n. 71 inseruisset, ait, Sanctum Pontificem hanc legem seu conditionem adjecisse, ut « appareat Sedis Apostolicæ indulgentias illis communicari qui, quantum suppetunt vires, bene operari non prætermittunt; non autem ignavis, otiosis, ac negligentia torpescensibus. » — Eiusdem sententiæ fuit cardinalis Cajetanus, qui citata formula jam memorata, *vere pœnitentibus*, qua Pontifices Romani uti solent, ait « Indulgentias non consequi pœnitentes negligentes, sed pœnitentes sollicitos, qui soli sunt vere pœnitentes. » Deinde explicat hujus doctrinæ utilitates ad cujus normam, ut observat, « solvuntur omnes quæstiones, tam de nimis largo Dei foro, quam de omittendis suffragiis pro plenarie absolutis in morte, quam de admiratione sapientum, et oblocutionibus detrahentium; et excitantur fideles ad pœnitentiæ opera. Nec aliquid admittitur efficaciam indulgentiarum, sicut nil admittitur efficaciam sacramentorum ex hoc quod oportet accedentes ad illa esse bene dispositos, si fructuosa sibi esse volunt. Soli siquidem indigni indulgentia, ab illius fructu, juxta hunc dicendi modum, excluduntur. » Trac. 10, de Suscipiendis Indulgentiis, quæst. 4.

Ecclesia hodie dum indulgentiæ munera dispensat, eadem qua olim mentis intentione. Nam in jubilæo commendat opera ad satisfaciendum idonea, puta jejunia, elemosynas, et ecclesiarum visitationes. In reliquis autem plenis indulgentiis jubet ut, præstitis e præscripto operibus, pœnitentiæ sacramentum adeatur. Ita credentibus modum suggerit quo indulgentiæ donum sibi comparent, sive ad supplendam satisfactionem dudum inchoatam, sive ad eluendum pœnitentiæ neglectum: nempe faciendo opera pœnitentiæ quæ in bullis pontificiis designantur, et vehementi dolore peccata sua detestando. Igitur cum hæc opinio videatur menti Ecclesiæ magis consentanea, concludimus cum S. Bonaventura in 4 sent. dist. 13, part. 1, art. 1, quæst. 111: *Ideo sanum consilium est quod homo semper pœniteat.*

Idem placuit S. Thomæ; idque omnino nobis in cathedra confessionis amplectendum est et sequendum: « Consulendum est, inquit, eis qui indulgentiam consequuntur, ne propter hoc ab operibus pœnitentiæ injunctis absterneant; ut etiam ex his remedium consequantur, quamvis a debitis pœnæ essent immunes: et præcipue quia quandoque sunt plurium debitores quam credant. » In 4, sent. 20, quæst. 1, art. 3, quæstiuncula 1 ad 4. Cardinalis Bellarmini doctrina dogmati Doctoris Angelici plane accinit: « Omnino, ait vir colendissimus, sic accipiunt prudentes Christiani pontificias indulgentias, ut simul etiam studeant dignos fructus ferre, ac pro suis peccatis Domino satisfacere. » Lib. 1 de Indulgent., cap. 12.

XII. Dicent vero: Indulgentiæ plenariæ sunt: ergo omnem plane temporalem pœnam remittunt. Nulla ergo a confessariis imponenda pœnitentia satisfactoria aut medicina-

lis, ac nulla in pœnitente obligatio esse debet hanc subeundi pœnitentiæ, dum plenaria ei concessa sit indulgentia. At jam diximus plenariam vocari indulgentiam quantum plene et integre supplet id quod ad integram satisfactionem deficit; ergo plenaria, non excludendo, sed includendo opera satisfactoria, qua ratione supra ostendimus. Præterea, plenaria indulgentia juxta mentem concedentis et dispositiones suscipientis attendenda est. Dum vero Summi Pontifices plenariam indulgentiam concedunt, eam vere pœnitentibus largiuntur. Numquid vere pœnitentes dici possunt qui injunctam a confessariis satisfactoriam pœnitentiæ adimplere obtentu indulgentiæ recusat? Quid vero si pœnitentia medicinalis sit, sive ordinata ad illos animi morbos averruncandos, qui proclives homines ad peccandum faciunt? Neque enim vere pœnitens haberi potest qui paratus non sit medicinam illam spiritualem usurpare quæ ad firmandum de non peccando propositum necessaria est. Plenaria præterea est ex parte suscipientis indulgentia, quando is tanto devotionis fervore, tanto charitatis affectu, et tantis pietatis operibus se disponit, ut ei omnis remittatur pœna: at hæc dispositiones in eo qui non suscipiat onus satisfactoriæ pœnitentiæ a confessario injunctum, omnino desiderantur. Tenetur ergo pœnitens etiam jubilæi tempore has pœnitentiæ adimplere; et confessarius imponere eas debet veluti opera ad sacramentum pœnitentiæ complendum ordinata. Fallitur ergo Lucius noster dum ait in praxi decere tantum *quod confessarius istas imponat*, cum imponere revera debeat, etiam attendita Bonifacii VIII bulla in qua jubilæi indulgentia *solis vere pœnitentibus* promittitur atque conceditur. Ad glossam quod attinet, quæ asserit noluisse Bonifacium ut confessarii aliquam pœnitentiæ injungerent, dicere primum possumus id adversari ipsius Bonifacii bullæ, ut superius innuimus: deinde exponi mens Bonifacii poterit de pœnitentiis per canones, non vero de medicinali et satisfactoria a confessario injungenda ad animi morbos medendos. Atque hæc de indulgentiæ effectu sufficiant.

XIII. Venio nunc ad indulgentias quæ pro defunctis applicantur. P. Lucius Ferraris n. 16 ait: *Indulgentiæ pro defunctis prosunt certo et infallibiliter illis determinatis animabus quibus, ex intentione Summi Pontificis, applicantur, secundum ordinariam Dei legem, etc.* Audiatur hac de re Passerinus, cujus doctrinam probat clarissimus Eusebius Amort. Examinans, *an indulgentiæ pro defunctis habeant effectum infallibiliter*, sic respondet. Prima sententia id negans habet tres rationes: primo, quia inferior non potest aliquem infallibiliter liberare a pœna inflata per superiorem, etiam compensando et dando æquivalens, nisi superior se specialiter obligaverit ad acceptandam compensationem. Quod vero Deus promiserit ac se obligaverit ad acceptandam compensationem pro defunctis, non constat. Secundo, sententia iudicis post mortem transit ex conditionata

in absolutam, unde non remanet locus satisfactioni per compensationem, quæ innititur justitiæ, sed solum quæ innititur divinæ misericordiæ. Tertio, quia ob hanc causam, etiam privata suffragia non habent infallibilem effectum, dum fiunt pro defunctis, sed solum ex libera acceptione divinæ misericordiæ. Hanc sententiam tenuerunt Richardus, 4, d. 15, qu. 203; Durand. q. 4, nu. 12; Cajetan. 1 tract. 16, quæst. 5; Cordub. n. 6, quæst. 13 et 15; Canus. l. XII de loc. theoi.; cap. 13 ad 9; Domin. Sotus de Indulgent.; Henric. l. 1, cap. 7, Layman. lib. V, tr. 7; Bonac. d. 6, quæst. 1, p. 6; Lezana v. *Indulg.* num. 5; Amicus t. 8, d. 20, f. 8, num. 176; et eandem rationabilem vocat Bellarminus l. I, c. 14. Re bene perpensa apparet primam (hanc) sententiam esse veriorum, quia non constat de speciali promissione Dei qua se obligaverit ad acceptandam compensationem quam Pontifex in favorem animarum purgatorii facit, dando indulgentiam per modum suffragii. Notare hic juvat indulgentias non concedi mortuis per modum iudicii et absolutionis: quia Ecclesia exercere iudicium nequit in illos qui suæ jurisdictioni non subjacent, ut sunt mortui. Istit itaque conceduntur *per modum suffragii*. Nomine autem suffragii theologi intelligunt subsidium ecclesiasticum, quod conferri potest, aut merendo per opera, aut impetrando per orationes, aut satisfaciendo per tolerantiam adversitatum, ut communiter auctores explicant.

XIV. Plura alia fuere a censoribus notata quæ nos paucis indicabimus. Primo, quod Lucius num. 32, art. 3, asserit a Summis Pontificibus non exigi confessionem et communionem veluti opus directe injunctum pro acquirenda indulgentia, id non placet; quia, dum Pontifex confessionem et communionem exigit, has inter præcipua opera recenset quæ ab iis præstanda sint qui indulgentias lucrari velint. Secundo, quia eodem in numero, paulo infra, docet sufficere indictam a Pontifice confessionem quæ etiam ante octo dies peracta fuerit. At id celebrioribus theologis improbatum est, et a sac. Indulgent. congregatione definitum fuit, confessionem saltem in vigilia fieri debere illius diei in quo acquirenda sit indulgentia, ut ex decreto sub die 19 Maii 1759. Tertio, quod dicat non requiri confessionem peccatorum venialium, nisi id expresse in concessione indulgentiæ declaratur. Saniore vero theologo, etiam tunc confessionem faciendam esse docent, non solum quia tutius id est, sed etiam quia consentaneum est praxi fidelium, et eodem indicato decreto definitum est. Quarto non placet dum asserit indulgentias ad septennium concessas completi septem annos utiles; ita ut, occurrente anno jubilæi intermedio, in quo illa indulgentia cesset, protrahi debeat ad octavum usque. Nam id arbitrarie prorsus asseritur, atque in gratia concessione satis perspicue exprimi videtur, ut nova, expleto septennio, supplicatio fiat. Quinto, non adeo facile permittendum cen-

sores putant, quod affirmat Lucius de Indulgentiis tempore Quadragesimæ concessis, *quæ incipiant ab hora in qua vespere celebrari solent*; nam, ut animadvertit Amort qu. 53, quando conceditur indulgentia plenaria a primis vespere usque ad occasum solis in die festo, incipiunt indulgentiæ ea hora qua in loco aut in vicinia solent inchoari primæ vespere, ac deficiunt ea hora qua ibi locorum sol subire solet horizontem. Quamobrem primæ vespere intelligendæ sunt juxta morem loci aut vicinæ. Non itaque videtur attendendus peculiaris Quadragesimæ ritus. Sed quidquid sit de hoc, « quando conceditur indulgentia plenaria pro aliquo die feriali, non exprimens primas vespere, videtur saltem circa indulgentias a ducentis annis concedi solitas, eam incipere a medio noctis, et durare usque ad medium noctis, non a primis vespere. Ratio est quia illud discrimen quod in nonnullis bullis indulgentiarum statuatur a primis vespere, in aliis autem bullis id non exprimitur, minime censi debet otiosum et vacuum ratione, adeoque cum hujusmodi bullæ destinato consilio quoad determinandum indulgentiarum initium diversæ sint, etiam operantur earumdem initium diversum; et cum stylo ecclesiastico per analogiam cum aliis rebus ecclesiasticis, puta festis, horis canonicis, missis, jejuniis, conforme sit tempus a medio noctis usque ad medium sequentis, primum est etiam Pontificem ad hoc tempus quoad indulgentias respexisse. » Sexto denique circa ea quæ Lucius habet num. 8, art. 4, de revocatione indulgentiarum facta per Paulum V, docti censores monendos esse lectores censuerunt ut attente legant Pauli V constitutionem incipientem *Romanus Pontifex*, ex qua facile intelligitur quæ revocata fuerint, quæque confirmata pro regularibus, a Summo Pontifice indulgentiæ. Constitutio refertur n. 7 ejusdem 4 articuli.

Auctoris.

Instituit hic Rom. theologus novum articulum de indulgentia, et § 10 insurgit acriter contra a me tradita, quasi blasphemias ego vomissem art. 3 n. 4. At ea quæ sunt *ibi* a me tradita et a *Theologo* nostro censura notata, sunt, ut cuique legenti patet, omnia solido fundamento rationum, SS. Patrum, classicorumque doctorum auctoritate suffulta, nec a me tantum pro arbitrio conclusa. Cæterum non ego conqueror de præstantissimis Romanis censoribus, quos summopere colo et veneror; sed tantummodo de ipso *Theologo* conqueror, quod me Auctore adhuc vivente, ausus sit (ut alia præteream) opus meum pro libito suo typis evulgare, et me identidem confratrem suum injuria carpere. Sed ipse viderit, et Deus, scrutator cordium, retribuet.

§ 13. Suæ censuræ subjicit quæ ego tradidi art. cit., n. 16, scilicet: quod indulgentiæ pro defunctis rite concessæ et acquisitæ secundum ordinariam Dei legem, prosint certo et infallibiliter illis determinatis animabus quibus ex intentione Summi Pontificis applicantur. Et tamen dictam sententiam cum

pondere rationum ibi productarum a num. 16 ad 20 inclusive, defendunt præter ibi allegatos gravissimos auctores, etiam alii plures, quos inter noster Mathæucci cum aliis in Cautela Confessarii lib. 1, c. 27, propos. 57, ab Alexandro VII damnata, n. 51, asserens quod id deducitur ex Epist. Leonis X ad card. Cajetanum de indulgentiis rationabili causa tam vivis quam defunctis concessis. Sed vivis datæ indulgentiæ infallibiliter prosunt, si opera præscripta impleantur, et causa sit proportionata: ergo sic dicendum de datis pro defunctis, quibus certo et infallibiliter prosunt, vel ex parte, si indulgentia sit non plenaria, vel integre, si sit plenaria, habeatque conditiones necessarias. Hæc ille qui statim sub num. 52 subjungit: *sed dubitatur an determinate liberetur ea anima pro qua celebratur in altari privilegiato*: Respondet affirmative; et affert ad rem Brevè Gregorii XIII pro concessione indulgentiæ altari privilegiato in Ecclesia S. Bartholomæi de Urbe, ubi ipse scribebat. Ita etiam doctiss. P. Augustinus de Gabrielis capuc. tom. III, tract. 7 de Pœnit., num. 540, cum aliis ibi citatis.—P. Concina lib. 1, de Sacram. Pœnit. dissert. 5, num. 44, qu. 10, circa hanc quæstionem, hæc habet: *Plures quidem affirmant, at plures etiam negant; et quia ego quid verosimilius sit ignoro, rem indecisam relinquo*. Et card. Bellarminus lib. 1 de Indulgent., cap. 14, neutram sententiam audeat reprobare, vocatque negantem valde rationabilem, et affirmantem valde piam. Videatur Appendix tract. 6 cursus Theol. Moral. Colleg. Salmaticensis, ubi tract. 6, cap. 3, punct. 2, num. 99 ad 104, a doctiss. auctore omnino certa judicatur et solidissime probatur nostra conclusio, et solvuntur omnes objectiones.

§ 14. Dicit Theologus: Lucius num. 32, art. 3, asserit a Summis Pontificibus non exigere confessionem et Communionem veluti opus directe adjunctum pro acquirenda indulgentia, etc. Id est contra decretum sac. cong. Indulgent. approbatum a Clemente XIII, 19 Maii 1759. At illud decretum fuit jam integrum a me prolatum in Supplementis tertiæ editionis; et ad ipsius normam nunc moderanda sunt, quæ ante ipsius promulgationem ex gravissimis auctoribus ibi citatis adduxeram; ipsum autem decretum videre est in Supplementis ad verb. Indulgentia, art. 2, num. 46.

APPENDIX ALTERA.

DE INDULGENTIIS.

Multa sane congesta Lucius Ferraris titulo de Indulgentiis ex casuistarum placitis deprompta, doctrinæ disciplinæque Ecclesiæ minime consentanea, quibus Romanus Theologus in altera editione sapientissime occurrit, appendice addita ad calcem ejusdem tituli. Enimvero perpenderit mihi ea in appendice nonnulla adhuc desiderari quæ verum Ecclesiæ spiritum in indulgentiis conferendis, atque dispositiones ad eas lucrandas necessarias accuratius explicent, hinc me de publico benemereri nullatenus ambigendum putavi, si al-

tera appendice ea supplenda assumerem quæ in prima adhuc desiderari videntur. Quia in re nihil me facturum aliud propono nisi opusculum in urbe editum an. 1760, cui titulus: *De Indulgentiis et requisitis præsertim ad eas recipiendas Dispositionibus, et catholicæ Ecclesiæ Doctrinæ in conferendis et recipiendis iisdem illustratio*, veluti in epitomen redigere.

§ 1. Indulgentia, prout hoc loco sumitur, nihil aliud est nisi relaxatio aut moderatio extra sacramentum ab Ecclesia facta pœnæ temporalis quam divina justitia exigit a peccatoribus pœnitentibus, quibus jam remissa fuere peccata, et pœna sempiterna quæ iis debebatur. Hinc Ecclesia sive supremi Ecclesiæ Pastores, tunc indulgentiam concedere dicuntur, cum juxta facultatem sibi a Domino traditam eas pœnas temporarias remittunt, quæ ex divinæ justitiæ decreto pœnitenti luendæ supersunt, culpa jam deleta. Quanta porro sit pœna temporaria quæ peccato jam remisso respondeat, licet nobis exploratum minime sit, illud tamen pro certo tenendum, gravem admodum esse, eamque peccati gravitati proportionatam. Hoc sensu ac spiritu ducta vetus Ecclesia Pœnitentiales Canones constituit in hoc omnes consentientes, quod pœnas gravissimas a pœnitente subeundas præscriberent; quorum canonum etiam nunc habenda ratio est, cum S. Carolus Borromæus aliique præstantissimi episcopi, ipseque Summus Pont. Innoc. XII. eos edendos vulgandosque curarint ad confessariorum et pœnitentium directionem.

Ex his canonibus, quos omni prorsus ex parte nunquam abolevit Ecclesia, Indulgentiarum quas confert veluti forma profecta est, ut ex ipsa constat Ecclesiæ praxi et disciplina in indulgentiis elargiendis. Sicut enim juxta canones pro qualitate peccati injungebatur pœnitentia, vel quadraginta dierum, vel unius, vel duorum, vel quinque, vel septem, aut plurium annorum, vel etiam totius vitæ: sic etiam varia ad hunc modum constituta sunt indulgentiarum genera, quæ pœnitentiæ tempus, vel contrahebant, vel ab ea penitus absolvebant. Nam alia quadragesima est, sive, ut alii vocant, *Carena*; alia *septena*, atque ita de cæteris partialibus; alia demum totalis, aut *plenaria*. Ex qua Ecclesiæ praxi et disciplina in indulgentiis concedendis illud colligere debemus, sanctissimas illas pœnitentiæ regulas nunquam fuisse abrogatas, nec pristinum suum omnem amisisse vigorem.

At vero, quanquam juxta tenorem aut statuta Canonum pœnitentiarum ab Ecclesia confectorum concederentur olim, et nunc etiam concedantur indulgentiæ, absit ut cogitemus eas valere duntaxat in foro Ecclesiæ, adeo ut non absolvant a pœnis quas justitia divina a peccatoribus exigit, sive in presenti, sive in futuro sæculo. Hanc sententiam refutavit S. Thom. q. 25, Supplem. art. 1, æque præscripta fuit a Leone X, qui sequentem damnavit Lutheri articulum: *Indulgentiæ his qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debita apud justitiam divinam*. Hinc cum laudato Angelico Doctore dicimus quod indul-

gentiæ valent, et quantum ad forum Ecclesiæ, et quantum ad Judicium Dei, ad remissionem pœnæ residuæ, etc.

§ 2. His de germana indulgentiæ notione prælibatis, Ecclesiæ catholicæ doctrinam de præsertim controversia præmittere lubet in iis quæ sacrosancta Tridentina synodus, tum de satisfactione Deo a peccatore exhibenda, cujus quædam relaxatio indulgentia est, tum de indulgentiis ipsis definivit. Et ut a priore ordiamur, agit de satisfactione sacrum concilium sess. præsertim 14, ubi cap. 2 decernit in primis, quod ad eam novitatem et integritatem quam per baptismum acquirimus, per sacramentum pœnitentiæ, sine magnis nostris fletibus ac laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus. Tum vero cap. 3, inter pœnitentiæ partes Satisfactionem collocat.

Uberius tandem de hac tertia pœnitentiæ parte disserens cap. 8, hæc inter alia statuit: *Divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta, peccata leviora putantes, veluti injurii et contumeliosi Spiritui sancto, in deteriora labamur*. Quod sancta Synodus confirmare pergit cum ex eo quod hæc pœnitentiæ opera securior via sint ad amovendam imminentem a Domino penam; tum ex conformitate quam oportet habere cum Christo, qui pro peccatis nostris satisfecit. Admonet deinde sacerdotes pro qualitate criminum et pœnitentium facultate, SALUTARES ET CONVENIENTES SATISFACTIONES INJUNGERE, ne si forte peccatis conviveant, et indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quedam opera pro gravissimis delictis injungendo, ALIENORUM PECCATORUM PARTICIPES EFFICIENTUR. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio quam injungunt non sit tantum ad novæ vitæ custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad prætorum vindictam et castigationem, etc.

Ex his porro sacri concilii decretis plura colligere pronum est, quæ certa, firma et inconcussa esse debent apud catholicos omnes; atque illud in primis satisfactionem unam esse ex tribus sacramenti pœnitentiæ partibus, saltem quoad animi præparationem, necessariam omnino ad reintegrandam amicitiam cum Deo offenso, et reparandam injuriam ipsi per peccatum illatam.

2º Satisfactionis hujusmodi necessitatem ex ipso divino jure desumi. Hoc enim nitidissime constat ex verbis Concilii illis: *divina id exigente justitia*.

3º Satisfactionem hanc necessariam omnino esse, nedum ad novæ vitæ custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad prætorum vindictam et castigationem: atque adeo proportionem aliqua respondere debere numero et qualitati criminum.

4º Denique non esse in arbitrio ministrorum Ecclesiæ pœnas hasce satisfactorias ad libitum remittere vel recuperare; sed ad eas pro qualitate criminum injungendas obstringi divino præcepto. Non enim id concilium solummodo consulit, sed expresse

præcipit, sive potius colligit ex jure divino: *debent ergo sacerdotes Domini, etc.*

Hæc omnia certissima sunt, atque extra disputationis aleam posita. Verum ad decretum alterum Concilii proferendum quod indulgentias spectat, gressum faciamus.

Decretum hoc habetur sessione 25, cap. ultimo, ubi Concilium ita loquitur: *Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit.... sacrosancta Synodus indulgentiarum usum Christiano populo maxime salutarem ac sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet ac præcipit.... In his tamen concedendis moderationem juxta veterem ac probatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit, ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur. Abusus vero qui in his irreperunt, etc., emendatos et correctos cupiens, præsertim decreto generaliter statuit, etc., omnino abolendos esse. Cæteros vero, qui ex superstitione, ignorantia, irreverentia, aut aliunde provenerunt, etc., mandat omnibus episcopis ut diligenter quisque hujusmodi abusus ecclesiæ suæ colligat, etc., ut ad Summum Pontificem deferantur, cujus auctoritate et prudentia quod universali Ecclesiæ expedit statuatur; ut ita sanctarum indulgentiarum munus pie, sancte, et incorrupte, omnibus fideliter dispensetur.*

Sancta igitur Ecclesia ab ipso Christo Domino potestatem accepit conferendi indulgentias.

2º Definit sacrosancta Synodus indulgentiarum usum utilem esse populo Christiano, maximeque salutarem. Hinc certi fideles esse debent firmiterque confidere quod, modo debitis cum dispositionibus indulgentiam recipiant, profutura sibi sit, nedum in facie Ecclesiæ, sed etiam coram Deo.

3º Concilium præcavere studet abusus qui in concedendis indulgentiis ac etiam recipiendis irrepere facile possunt; atque adeo in earum dispensatione moderationem adhiberi cupit, juxta veterem ac probatam Ecclesiæ consuetudinem, ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur. Hæc est disciplina pœnitentiæ, sive satisfactionis pro commissis delictis, quam enervari Concilium timet nimia indulgentias conferendi facilitate, nimisque, quam rudiores sæpe concipiunt, fiducia obtinendæ salutis via hac faciliore atque suaviore. Cum autem duplex quæstio excitari possit, quarum altera Indulgentias spectat ex parte conferentis, altera ex parte suscipientis, idcirco de priore in antecessum disseramus oportet.

§ 3. Illud ergo pro certo statuendum tanquam Ecclesiæ doctrinam, ad indulgentiæ valorem, præter auctoritatem in conferente, requiri piam ac justam conferendi causam. Adde justam et rationabilem causam esse non posse, nisi proportionata quodammodo sit indulgentiæ quæ confertur. Rationabilem autem causam semper adesse præsumendum est, nisi aliud nimirum evidenter constet.

Primam assertionis partem, quæ in confesso est apud omnes, iisdem ferme momentis confirmo quæ proferunt cardinalis

Bellarminus, Pater Gabriel Antoine, alique. Primum hoc est: « quoniam (inquit Bellarminus lib. 1 de Indulgentiis, cap. 12) poena expianda est jure divino: non potest autem Summus Pontifex sine justa causa dispensare in iis quæ aliquo modo pertinent ad jus divinum, quoniam minister Dei est, non Dominus. » Quam rationem proponit insignis alter ac primarius Summi Pontificis in concilio Tridentino theologus, Petrus de Soto, lectione 2 de Indulgentiis: « Thesaurus unde indulgentiæ dantur, non est in manu Pontificis, ut pro suo libitu, cui vult, donet efficaciter; sed apud Deum reconditus est... qua de re indulgentia, ut ex parte conferentis sit efficax, sive valorem obtineat, talis sit oportet causa conferendi. ut verosimiliter probetur a Deo. »

Demum neque ipsi Summi Pontifices talem in se potestatem agnoscunt ut Indulgentias sine justa causa concedere valeant. Nam Clemens VI, in extrav. *Unigenitus*, expresse proficitur thesaurum Ecclesiæ ea lege Petro ejusque successoribus fuisse concredidit, ut eum non nisi *pro piis et rationabilibus causis dispensent*; adeo ut, quemadmodum ipsemet exponit, ex hac dispensatione *Fidelium augeatur devotio, fides splendeat, spes vigeat, et charitas vehementius incalcescat.*

Verum hæc ita certa sunt, ut nec in controversiam adduci queant. Quod in disputationem vocatur illud est, an scilicet quælibet pia causa sufficiat ad indulgentias valide conferendas, an vero requiratur ulterius proportio aliqua operis injuncti cum ipsa indulgentia. Partem priorem docuerunt olim nonnulli, quos inter refertur etiam sanctus Thomas, sed plane immerito. Posterior autem communior est, tum apud veteres, tum apud recentes doctores, quam ego quoque defendo.

Hæc ut magis explicetur, duo præsertim observo cum Bellarmino: primo scilicet ad causam justam, ut plurimum duo requiri, nempe finem aliquem pium, Deoque gratum, cujus assecutio Deo magis placeat quam satisfactio pœnitentialis quæ per indulgentiam relaxatur: ulterius opus aliquod fini assequendo proportionatum sit oportet. Nam licet finis Deo valde placeat; si tamen per opus injunctum congrue obtineri non possit, non videtur justa causa concedendæ indulgentiæ: ut, si, verbi gratia, plenaria indulgentia dispensetur iis qui precatiunculam aliquam recitant pro hæreticorum conversione, « causa, inquit pius cardinalis, non videbitur justa; quoniam licet conversio hæreticorum res sit maxima, et Deo gratior quam pœnitentialis satisfactio multorum fidelium, vix tamen confert ad illum finem obtinendum brevissima oratio. »

2º Observo ex eodem omnes in eo convenire « ad causam proportionem non requiri (ut ait Pater Antoine Tractatu de Indulgentiis, quæstione 8), ut opus injunctum sit ita de se satisfactorium, ut per se plane compenset et tollat debitum pœnæ. Nam tunc nulla fieret remissio per indulgentias, et sic indulgentiæ forent prorsus inutiles. »

His animadversis, primæ nostræ, et communis sententiæ probatio desumitur ex cardinali Cajetano, capite 8, de Indulgent., cujus de Indulgentiis doctrinam Raynaldus ad annum 1317 et seq. ubique proponit tanquam *doctrinam Ecclesiæ catholicæ* « Dispensatio, inquit, thesauri cœlestis credita Petro ejusque successoribus, imitari debet dispensationem factam ab ipso Christo. Constat autem quod Christus eumdem thesaurum dispensat commensurate, juxta concurrentes conditiones causarum mediarum... Ergo ipsius Vicario commensuratum quoque applicationem dicti thesauri creditam esse rationabile est. »

Alter probatio hæc est ab eodem eminentissimo auctore paucis hisce verbis proposita: « quia, inquit, constat prælatos omnes Ecclesiæ, non nisi ministros et dispensatores esse, tota igitur eorum potestas supra thesaurum Ecclesiæ infra limites dispensativæ potentiæ clauditur. »

Atque hinc 3 alia probatio subnascitur. Nam, juxta doctores omnes, ad indulgentiæ valorem in conferente requiritur justa et rationabilis causa. Justa autem et rationabilis ea reapse vocari nequit quæ nullam habet cum effectu proportionem; planeque pervertunt vocabulorum vim, qui justam causam requirentes, pro quocunque etiam levissimo opere indulgentias quaslibet valide concedi posse contendunt.

Probatio 4 congrua nititur paritate: eodem nempe modo loqui par est de dispensatione indulgentiarum ac votorum. At, juxta communio rem sententiam, dispensatio in votis facta sine gravi causa, quæ gratior Deo sit quam voti ipsius adimpletio, judicatur invalida. Igitur hoc ipsum de indulgentiarum dispensatione sentiendum.

Tandem in concilio Lateranensi IV plures indulgentiæ repudiatae fuere veluti *indiscretæ et superflue*, adeoque inutiles. Cur autem indiscretæ et superflue dictæ sunt? Num quia nullum pium finem earum concessioni prælati apposerint? Quis hoc sibi persuaserit? Dicendum igitur illud est, causam quidem piam aliquam existisse, sed non proportionatam indulgentiis distributis.

§ 4. Gravior modo, eaque summi momenti controversia accurate discutienda succedit de dispositionibus requisitis *ex parte recipientis indulgentias* ut effectum pro quo conferuntur obtineant, solvanturque a pœnarum temporalium debito, culpa jam dimissa. In hoc plures graves theologi conveniunt, ut infra clarius fiet, quod præter statum gratiæ et executionem operis injuncti, quod exiguum nunc esse solet dum indulgentiæ præsertim generales conferuntur, requiratur etiam ex parte suscipientis, tanquam conditio prorsus necessaria, saltem ad plenam earum assecutionem, sincerum, et efficacem propositum, ac sollicitudo satisfaciendi juxta vires Deo pro peccatis, ferendique fructus dignos pœnitentiæ, facultati ac infirmitati cujusque accommodatos, adeo ut ex proportionem hujus sollicitudinis, ac devotionis, etiam pietatis et charitatis fervore, quibus

pœnitentiæ opera peraguntur, major minorve percipiatur indulgentiæ fructus, sive remissio temporalium pœnarum divinæ justitiæ debitæ. Hæc est paucis exposita verbis hæc de quæstione sententia, quam tum veteres omnes tradunt, tum plerique recentiorum, qui rem hanc accuratius discussere, secundum ea principia quibus dirimendæ sunt theologicæ controversiæ, et quam esse contendo *Catholicæ Ecclesiæ doctrinam*. Quod nemo arroganter a me dictum existimet: idem quippe longe ante jam asseruit cardinalis Baronius, cujus alibi opportunius referuntur verba. Interim vero audire non pigeat eminentissimum alium purpuratum.

Is est cardinalis Denhoffius, qui in sua celebratissima instructione pastoralis de Pœnitentiæ, tot in linguis conversa et Sedis Apostolicæ auctoritate probata, ita scribit in rem nostram: « Mens Ecclesiæ in dispensandis indulgentiis hæc quidem est, nempe filiis suis beneficio indulgentiæ opem ferre, ut pœnæ debitum exsolvant, cui solvendo impares sunt... Sed eximere non vult ab obligatione legis divinæ, quæ idoneos pœnitentiæ fructus facere jubet, neque desides reddere, aut tardiores in operibus satisfactionis, quæ tantopere, et in sacris Scripturis, et a sanctis Patribus commendata sunt, sedulo exercendis. Ideo concilium Tridentinum tradit nusquam esse in Ecclesia semitam tiodiem... quam ut crebro quis in hujusmodi operibus pœnitentiæ agendis occupetur... Hanc Ecclesiæ mentem multoties indicant Summi Pontifices in suis indulgentiarum litteris, quibus eas impertiri *se vere pœnitentibus* aiunt, his verbis significantes sinceram omnium delictorum detestationem, firmum animi propositum deinceps non relabendi, et voluntatem Deo apposite satisfaciendi. Cum lapsus ad hunc modum animo est comparatus, et suis partibus sedulo defungitur... Ecclesia, veluti pia mater, in auxilium occurrit, ut indulgentiæ beneficio, quod restat debiti solvat... Hinc usu venit ut pœnæ indulgentiæ non omnibus qui, exuto peccandi affectu, præscriptas condiciones ad amissim præstiterunt, ex asse cedat in plenam solutionem. » Quod subinde roborat auctoritate S. Bonaventuræ ac Summorum Pontificum Innoc. IV et Bonifacii VIII: « Quibus, subdit, satis indicant plenæ indulgentiæ consecutionem quemque fieri participem, tum secundum modum operum pœnitentiæ quæ fecerit, tum secundum piæ devotionis fervorem. »

Ex iis facile quisque colligere valet in quo sita sit indulgentiarum utilitas.

§ 5. Ab ea discutienda sententia omnino abstinere statui, quæ in hoc est posita, quod major minorve percipiatur indulgentiæ fructus juxta mensuram actualis charitatis Dei, fervoris, pietatis ac devotionis, quibus perficiuntur opera injuncta in indulgentiarum largitionibus; quamque defendunt Adrianus VI, cardinalis Pallavicinus lib. II, cap. 3, Hist. Concil. Trid.; S. Bonavent., Richardus, Gabriel, Major, Gerson, Innocentius, ac Felinus, omnes a Pallavicino

citati: quibus adde Cajetanum, Natalem Alexandrum, aliosque complures. Hic duntaxat vindicare ac comprobare sententiam nostram aggrediar sub iis terminis quibus frequentius a sanis theologis defenditur; requiri videlicet *ex parte subjecti* ad indulgentias lucrandas, præter statum gratiæ, propositum sincerum, et efficacem satisfaciendi Deo pro peccatis: propositum, inquam, *sincerum et efficacem*, quod nempe in actus convenientes prodeat juxta vires ac facultatem subjecti, aliasque quæ occurrere possunt ac solent circumstantias.

Hanc sententiam, quam *ut Ecclesiæ Catholicæ doctrinam* propugno, probò imprimis argumento ex Scripturis ducto, quod ita proponit Antoine cap. 14 de indulgentiis. Extat divinum præceptum faciendi dignos fructus pœnitentiæ, hoc est opera pia et pœnalia, quæ satisfacere valeant pro peccatis, ut explicat concilium Tridentinum, a quo præcepto Ecclesiæ dispensare non potest... Et idem concilium Sess. 6, c. 14, de justitiæ, docet generaliter pœnitentiam Christiani lapsi, præter contritionem et confessionem, necessario continere *satisfactionem per jejunia, elemosynas, orationes, et alia pia spiritualis vitæ exercitia*, etc. Ista ille.

Hoc argumentum sic proponere præstat. Jure divino in sacris libris asserto constitutum est ut pœnitenti, reatu culpæ remisso, reatus pœnæ temporalis remaneat luendæ, sive in hac vita, sive in alia, juxta eundem gravitatem et meritum. Hæc propositio ita certa est, ut si quis eam inficiatur, jam inter heterodoxos recensendus videatur, quam confirmare placet sententia S. Caroli, qui, in sua Confess. Instructione, ita ait: « Sacræ litteræ ab iis qui pœnitentiam agunt hoc efflagitant, ut fructus dignos pœnitentiæ faciant, atque ad Dominum convertantur in jejuniis, fletu et planctu. » Hæc igitur major propositio certissima est. Ad minorem venio. Sed quod divino jure constitutum est, firmum et constans sit oportet, nec ab auctoritate Ecclesiæ solvi potest ulla indulgentiarum largitione; siquidem nulla gaudet Ecclesiæ potestate supra jus divinum, quod declarare quidem valet, nullatenus vero solvere vel abrogare. Igitur peccator per indulgentias non eximitur ab hac obligatione satisfaciendi Deo operibus hisce pœnalibus.

Confirmatur magisque urgetur hoc argumentum. Certum apud omnes est Ecclesiam thesaurum meritorum Christi et Sanctorum dispensare non posse contra ejus voluntatem. Ejus porro voluntas esse noscitur, *ut dignos pœnitentiæ fructus* faciamus, et quidem *dignos*, hoc est juxta criminum qualitatem et numerum. *Fructus autem pœnitentiæ* quinam præsertim sunt, aut in quo consistent, nisi in congruis pœnalis satisfactionis operibus, ex quibus etiam pœnitentia nomen sumpsit? Ita exponunt hunc textum similesque alios sancti Ecclesiæ Patres, et præ reliquis S. Th. Quodlib. 3, q. 12, art. 23. Unde inferendum est indul-